



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 48. Quorumdam Regularium subjectio, aliorum pertinacia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

a Baccalaureo Massiliensi, alioque ad-  
 miserit, sub idem quoque tempus Lor-  
 detus die vigesima Februarii Tolosæ  
 hanc propugnabat thesin: *ad peccatum  
 mortale vel veniale prærequiritur expressa  
 cognitio malitiæ moralis, vel expressa du-  
 bitatio, ne actui eliciendo malitia moralis  
 inexistat.* Eapropter Aurelianensis  
 Dux Cardinali du Bois negotium de-  
 dit, ut Lordetum ad revocandam hanc  
 propositionem compelleret. Denique  
 theses, quæ die nona Julii in Sorbona  
 Præsidi Rectore Montempuis de gratia  
 Christi propugnari debuissent, suppres-  
 sit, eoquod plures fuissent expositæ  
 propositiones æquivocæ, ex quibus ve-  
 nenum extrahi posset.

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1721.

§. XLVIII.

*Quorundam Regularium subiectio,  
 aliorum pertinacia.*

Haud segnius supremi quorundam *Dorsan.*  
 Regularium Ordinum Superiores a *l. c. p. 75.*  
 veritatis semita devios reducere, &  
 ceteros in debita subiectione firmare  
 adlaborabant: Ex his præcipuus erat  
 Dionysius San - Marthanus supremus  
 Congregationis Benedictinæ S. Mauri  
 Præpositus, qui suadente Scalonio  
 Præsule quamprimum Innocent. XIII.  
 Divi Petri Cathedram conscendisse com-  
 pererat,

Sæc. XVIII. pererat, mox epistolam encyclicam  
A.C. 1721. ad omnes suæ Congregationis

Conventus perscripsit, eosque hortatus est, ut opportunissimam grave Constitutionis negotium modo Congregationis imo toti Ecclesiæ proficuo absolvendi occasionem non prætermittant, proinamque electum Pontificem æqui bonique studiosissimum, & de hac controversia plene instructum literas gratulatorias mittant, simulque omnibus ejus justam sinceram, & filialem obedientiam tantum digno Christi Vicario debitam profiteantur. Eadem vero occasione hic idem Præpositus eis ob oculos posuit, quod si adhucdum sese submittere contemnerentur, extrema quæque non modo a Pontifice, sed & a Galliarum Regi pertimescenda haberent: Elegerunt PP. Prædicatores in supremum sui Ordinis Magistrum in comitiis die trigesima prima Maij Romæ celebratis Patrem Augustinum de Pipia Præfatum Cardinale Davia, qui eidem nomine Pontificis instillabat, ut antiquæ Thomæ Aquinatis doctrinæ insistentem novas opiniones in sui Ordinis Scholis invehire præpediret, hac enim, addebat Cardinalis, ratione sacræ Sedis gratia & favore sese dignum reddere possent. Eapropter novus hic Generalis motus epistola encyclica omnes sibi subiectos hortatus

hortabatur, ut S. Thomæ doctrinam Sæc. XVIII. A. C. 1721.  
 immoto studio propugnarent. Insuper Pater Le Roy Cisterciensium Generalis  
 quatuor Religiosos, qui Parisiis suas  
 appellationes innovarunt, ad alia exu-  
 lare iussit monasteria. Non deerant ta-  
 men ex Monachis Congregationis S.  
 Hidulphi, qui ad Superiorum suorum  
 vocem aures obturarent, cum autem  
 jam anno priori die secunda Decembris  
 suam appellationem in pleno confessa  
 innovasse compertum esset, ac suam  
 declarationem typis impressam vulgaf-  
 sent, ingens contra eos mota est tem-  
 pestas, atque inter eos præcipue P.  
 Theodoricus de Viaixnes, qui præci-  
 pius hujus perverciæ Author audie-  
 bāt, in exilium detrusus est; nec ta-  
 men hujus supplicio ceteri sapere cæ-  
 perant; unde in eos tanta populi aver-  
 sio, ut dum in Abbatia S. Sulpitii reli-  
 quæ hujus sancti die decima septima  
 Januarii pro more non sine maximo  
 populi concursu colerentur, scheda  
 majusculis literis scripta Ecclesiæ fori-  
 bus affixa legeretur, hujus tenoris:  
*Monentur omnes, ne Ecclesiam hanc acce-  
 derent, minus sacram Synaxin ab horum  
 Monachorum manibus recipiant, quia sunt  
 hæretici, Schismatici & Excommunicati,  
 quibuscum in Divinis communicare non licet,  
 quin eorum sacrilegiis participetur, Idem  
 vobis*

Sæc. XVIII vobis observandum est cum ceteris Appo-  
A. C. 1721. lantibus.

Eadem die Defendio Ecclesiæ Ca-  
thedralis Canonico & Capituli Promo-  
tori epistola ignota manu scripta trade-  
batur, qua significatum, omnibus mi-  
rum videri, quod ipse, utpote Promo-  
tor, & fidei, sanæque doctrinæ studio-  
sissimus pro officii sui debito Appellan-  
tes nondum infectatus esset, id vero  
tandem ab ejus probitate & religione  
desiderari. Spernebatur primo hæc  
epistola, eoquod hic Canonicus desuper  
interrogatus responderit, quod illius  
autographum in ignem conjecisset, ex-  
actius vero Regius Procurator in Sche-  
dæ Authorem inquisivit, & ipse Ab-  
bas sibi de injuria satisfieri petiit, cui  
etiam omnem opem & operam publice-  
batur Cardinalis de Gesures, haud le-  
viter exacerbatus, eoquod libellus ma-  
nuscriptus in Bituricensi urbe sub ti-  
tulo *Philotanus* contra Constitutionem  
impune per Nobilium fæminarum ma-  
nus versaretur, cum tamen hic libellus  
summo Pontifici, Ecclesiæ, & Episco-  
pis injuriosus, necnon Regiæ declara-  
tioni contrarius esset: quamvis autem  
Cardinalis per suum Vicarium Genera-  
lem hunc libellum ex Nobilis cujusdam  
Matronæ manibus eripuisset, aliorum  
tamen artibus factum, ut res indecisa  
perma-

permaneret. Majorem sibi molestiam Sæc. XVIII.  
accerfivere Patres Oratorii vel ex Jan- A. C. 1721.  
senianæ hæresis labe, aut illius suspi-  
cione. Eorum spirituali regimini jam  
per octoginta octo annos subjectæ erant  
Rupellis Moniales, quas *Ursulinas* vo-  
cant; accusabantur hi Patres quod inter  
illos nonnulli appellassent, quocirca Epi-  
scopus eis non modo inhibuit, ne ha-  
rum Monialium conscientias modera-  
rentur, sed etiam Monialibus injunxit,  
ut rem Divinam peracturis vestes Sa-  
cras denegarent: Hæ vero Regiæ im-  
positi silentii declarationi insistentes in  
festo S. Ursulæ a Parocho in eorum  
Ecclesia celebrante sacram Synaxin re-  
ceperunt: Re comperta Episcopus eas  
Sacramentorum usu interdixit, donec  
*pure & simpliciter* Constitutionem ac-  
ceptassent: Hæ igitur in arcto positæ,  
cum literarum ignaræ ab aliorum ore  
ac ductu dependerent, *Constitutionem*  
*pure & simpliciter juxta Noailii explica-*  
*tiones* acceptarunt, moxque Sacramen-  
torum usui restitutæ sunt. Verum id  
reprobantibus Jesuitis, Episcopus has  
Moniales adegit, ut Bullam sine ulla  
explicatione tanquam *Regulam fidei* ac-  
ceptarent, & appellantes pro hæreti-  
cis haberent, cum autem id facere de-  
tractarent, Episcopus eas, donec ob-  
temperarent, Sacra mensa exclusit.  
Que-

Sæc. XVIII. Queruntur hæc literis suis apud Regni  
 A. C. 1721. Regentem, exponunt, se ferventibus  
 hisce controversiis semper exactum ser-  
 vasse silentium, illudque se integra fide  
 servaturas pollicentur: Sed incassum  
 omnia: prohibentur insuper, ne ado-  
 lescentulam Sacra veste induerent.  
 Tandem vero die vigesima septima Fe-  
 bruarii Episcopus cum Thesaurario Ca-  
 thedralis Ecclesiæ, duobus satellitibus  
 & aliquot Canonicis Asceterium acce-  
 dit, & a Præposita quærit, an ad suas  
 literas responsum a Regni Regente ac-  
 cepisset, & non expectato responso  
 subjungit, Præsules Senatus Ecclesiæ  
 stitici decrevisse, illas a Sacramentorum  
 usu & in suam familiam cooptandi fa-  
 cultate privandas esse, donec Con-  
 stitutionem in sensu Pontificis sui-  
 que Episcopi sine restrictione recepissent.  
 Tum vero reponunt Moniales, quod  
 eam in sensu, quo illam Ecclesia reci-  
 pit, & Rex recipi jubet, & Franciæ  
 Clerus recipit, acceptare velint, &  
 quod quidem olim ad manus habuissent  
 Quesnelli reflexiones, eas vero ad Epi-  
 scopi iussa suppresserint. Nec tamen  
 adhuc satisfactum Episcopo, qui illis  
 quoque imputabat, quod Christum  
 non pro omnibus, sed solis Electis  
 mortuum esse teneant. Profitentibus  
 tamen omnibus, se credere, quod  
 Christi

Christus sit mortuus pro omnibus, me-  
rita tamen sui Sanguinis non omnibus  
fuerint applicata: tandem interve-  
niente Regia auctoritate ab ulteriore  
molestia immunes permansere: Patres  
tamen Gassarelus & Boyerus, qui se-  
posita omni moderatione & reverentia  
sæpius in Constitutionem invehebantur,  
exilio mulctati sunt, omnesque Semi-  
naristæ eorum curæ commissi, qui suas  
appellationes innovarunt, a sacris Or-  
dinibus excludebantur, atque initiatis  
Concionandi, & Confessiones excipiendi  
facultas denegata est.

Harum dissensionum vapores in sa-  
cras etiam solitudines penetrasse,  
Virosque ab omni pene hominum con-  
sortio infecisse cernebatur; cum enim  
in Rhemeni Diœcesi Prior Carthusiæ  
de Monte Dei habito Regulari Conventu  
figillatim omnes Religiosos moneret,  
ut corde & animo omnibus in Consti-  
tutione contentis sese subjicerent, cun-  
ctis plenam obedientiam spondentibus  
solus quidam viginti octo annorum Ju-  
venis P. Guilielmus Jallobertus decla-  
rabat, se solitudinis suæ amore abstra-  
ctum de controversiis ob Constitutio-  
nem exortis edoceri, haud curasse,  
exactum tamen hucusque de hisce re-  
bus servasse silentium, nec se posse erga  
decisiones sibi omnino incognitas sub-  
Hist. Eccles. Tom. LXXI. P. millio-

æc. XVIII.  
A. C. 1721.

Hist. eccles.  
Tom. LXXI.  
P. 428



Sæc. XVIII. missionem cordis & animi pollicens  
 A. C. 1721. cum ergo a suo Superiore provocatus  
 se subicere nollet, instructis judici  
 actis ad perpetuos damnabatur carce-  
 res, ast ejus Parente ad Parlamentum  
 recurrente inde liberatus est. Tan-  
 ingens turbarum, malorumque ince-  
 dium suscitavit unica scintilla, quæ  
 a quibusdam privatam suam recensque  
 excoctam opinionem tuendi pruriginem  
 fuisset insufflata, & ab aliis sese oppo-  
 nendi ac contradicendi studio propa-  
 gata, facile in primo ortu extingui  
 potuisset.

## §. XLIX.

*Summi Pontificis & Sacrarum Con-  
 gregationem decreta ac de-  
 cisiones.*

*Bull. magn. Const. 104. Innoc. XIII. p. 215. 423. 385.*  
 Publicis Ecclesiæ negotiis per Cle-  
 mentis XI. obitum intercisis par-  
 cas Innocentii Constitutiones, & sacra-  
 rum Congregationum decreta reperiri  
 est: Exstat tamen ejusdem summi Pon-  
 tificis Constitutio die vigesima septima  
 Novembris edita, qua confirmavit gra-  
 tiam Urbini Civitati a Clemente XI.  
 factam, vi cujus unus ex hujus Urbis  
 civibus, qui in illius Universitate Docto-  
 ratus laurea suscepta Collegio Docto-  
 rum Ejusdem Civitatis adscriptus est